

464

462

468

458

473

453

513

413

563

363

Ende

Anfang

453

quod longe (**b**) terribilius est, ad manes usque descendere et Ditis opacas intrare domos et terrae viscera oculis terebrare, nunc autem in liminibus optati natalis soli existens infixus nivibus detinari, quemadmodum contigit fortunatissimo Suevorum principi Brenno, qui provinciis longe distantibus sibi subactis cum ditis simis spoliis rediens nivibus in his Alpibus obrutus perit cum universis. Quo ergo infelix ex sublimi saltu, quo ex monte celso in illud desiderabile solum memet dejiciam? Quis me a ventorum extollet impetu? Quae deferat condensa nubes aut ipsius armiger ales? O utinam ab inferis remearet Daedalus, qui solus homini pennis induere novit et mortalibus insuetas vias ostendere et praestare infixis suffragium! Quid, nisi, undecumque venerit, detur post tot exantatos labores, tot victos timores, tot etiam obices superatos! in ista tenebrosa et nivosa valle non absque ignominia temeritatis meae subsistendum est. Tandem autem post periculosos aquarum casus in villulam quandam, Niderdorf dictam, maxima cum difficultate venimus, ut equi nostri summo labore confecti respirarent, et nos similiter. Ingressi autem hospitium invenimus aliquos mercatores, qui intrare via, qua nos veneramus, intendebant, sed exspectabant, quousque aliqui exirent, qui viam frangerent per nivem gelatam, quod illi facere nullatenus audebant, nec alicui facere suadere vellem propter magna pericula bestiarum et hominum. Ab ipsis mercatoribus occurrentibus de Ulma intelleximus, quod domini consules Ulmenses jam reformassent ambos conventus fratrum Minorum in civitate et extra sororum in Soellingen cum magnis laboribus et maximis expensis. Cum ergo paululum respirassemus, iterum ascensis equis per viam inviam et arduissimam transitum effregimus, sicut prius, cum multo labore et periculo, in spe tamen, quia finem illius maledictae vallis vidimus, post quam iter expeditum et tritum nos habituros speravimus. Improbo ergo labore, omnia vincente, ad finem vallis illius venimus in regionem comitum de Goricia ad villam grandem, dictam Tobel, ibique anhelitu resumto iterum processimus per aliam vallem et viam quidem tritam invenimus, ventum tamen frigidissimum habuimus contra nos et fortem, qui levata nive contra nos projicit, infrigidavit, coecavit et viam tritam operuit, et ita vexati fuijmus in ista valle, quod non faciliter dijudicare potui, an in alia valle potius laborare vel in illa vellem, si volun-

